DE SALUTIORUM GESTIS AD SALUTIENSES, AD PEDEMONTIUM ATQUE AD...

Goffredo Alessandro Bossa

DE

SALUTIORUM GESTIS

AD

SALUTIENSES, AD PEDEMONTIUM

ATQUE

AD ITALIAM

JOPHREDI ALEXANDRI BOSSA

SALUTIENSIS

ELEGIÆ

TAURINI
EXCUDEBANT SODALES TYPOGRAPHI
M . D . CCC . LVI

Jophredus Bossa Lectori salutem.

Illam subalpini agri partem, quae ad Alpes Maritimas pertinet, propiusque Vesulo monti subjacet, qualibet aetate summis viris floruisse, res est apud omnes testata. Ut enim Deninam, uberrimum historiae auctorem, et Bodonium artis suae Roscium praeteream, qui immortale decus italico nomini asseruerunt, nemo profecto tam hospes rerum nostrarum erit, quin sciat ineunte saeculo sexto supra decimum, barbaria per caeteram Europam nondum dissipata, a Ludovico hujusce nominis II, Salutiarum Marchione, suis in aedibus doctissimum quemque accitum fuisse, primosque libros manu exaratos Guttembergiaca industria, recens invecta, fuisse descriptos. Est quippe vetus Vagiennorum regio tutissimum liberalioribus doctrinis perfugium: ibi tenuissimus aer, campi per latam longe planitiem, meridiem versus, agricolatione exsultantes: ibi colliculi et montes proceritate arborum, fontiumque rigore frequentandi, adde jam, qua parte ad occasum vergit, alpium juga, ipsiusque Vesuli montis canescentem nivibus frontem, adde popularium nativam quamdam nec adscitam urbanitatem, quo fit omnino ut advenae, Atticorum more, molliter, publicisque verbis remotis, excipiantur.

Sed enim, vel quia ita natura est comparatum, ut, quae summum perfectionis fastigium attigerunt, nescio quom senectutem paulatim recipere videantur, vel quia, per ignaviam, a majoribus traditum, dixerim, Vestae ignem restinximus, eo tandem ventum est, ut celeberrima haec Pedemon-

tanae Ditionis Provincia, nullum ab hinc aliquot annos edat ingenuorum in litteris adolescentum foetum, qui Arminensis foeminae suavissimum poetam, et Jophredi Casalis manes quodammodo demereatur (1).

Quae cum ita sint, quando ad intermortuam virtutem excitandam praestantissimorum exempla plurimum valent, optimum factu existimavi, si Salutianam gentem, Roberti casu nuper attritam, carminibus celebrarem, ad nobilissimos deinde, si per otium licebit, prioris aetatis Salutienses gradum facturus.

Ne quis vero miretur me hic, ad igniculos nobis natura datos expromendos, a Salutiana stirpe orsus capere, eo hanc ab ultima inde origine fortiter alpinas regiones plerasque omnes tenuisse, atque cum Allobrogum Ducibus non semel de principatu contendisse, postea vero quam, lege vectigali accepta, Sabaudiae Principibus paruit, luculentissimum fovisse amoeniorum artium thesaurum, quem postea cum caetera gente communicaret.

Ceterum una et altera liberalitate Pater et Avus, a gratiosissima hac et apud omnes apertissima domo aucti, erat tandem cur palam amoris erga illam mei testimonium aliquod exstaret. Quo facto nonnullos elegiacos de Rosa Deodata, de Alexandro, deque Hannibale, Caesare, et Roberto, versus publicandos existimavi, oppidano quidem cultu dum valetudine diuturna haud ita pridem tentatus jacerem, consarcinatos, sed a patriae charitate profectos, quos, si boni consulas, candide lector, alia propediem meliori pomice expolita carmina tibi probabo.

Dab. Salutiis XV cal. septembres MDCCCLVI

(1) *Unum quippe fere Vincentium Lanfranchium politiorum litterarum doctorem, eumdemque Provincialium nuper ephebei alumnum lectissimum memoramus, graecis latinisque litteris perinde innutritum, qui bona spe in posterum praeluceat.*

JUXTA

ROSÆ IGNATIÆ DEODATÆ DE SALUTIIS

Sepulcrum.

AD SALUTIENSES

ELEGIA

Stella erat (1) egregia nobis jam luce coruscans;
  Qua modo parte micat? quosque nitore beat?
Occidit; at lucet caris, patribusque, Deoque,
  Unde data, o Cives; nomen ut omen erat.
Duxerat hanc nobis Joseph ut lumen amoris;
  Luxit, et hinc abiit; lumen amoris adest.
In platea haec, veteris spectans vestigia Castri,
  Quod modo mulctatos carcere triste tenet
Haec et amicorum tetigerunt corda duorum,
  Et solitum Mantae tres iter ingredimur (2).
Non tot Penei agricolis dant commoda ripæ,
  Quot collis gignit frugifer iste suis;
Es ne opera lassus? vel curis angeris altis?
  Nonne hic prospectus, suavis et aura levat?
Ecce hinc inde graves vites comitantur et horti,
  Laetitiaeque hominem reddit amoenus odor.

Deliciae dominis olim hae placuere Salutiis,
  Et Flacci votis vinea quaeque satis
Quingentis gradibus vix nos distamus ad urbe (3),
  Ac jam juxta aedes sistimus ecce sacras
Intramus (fundabat enim istud Marchio templum
  Undecimus, sociis et dabat ipse piis),
Nos pictura rapit diversa, tholique majestas,
  Et major dulcem suscitat ara fidem
Sex latere exsurgunt devota ab utroque sacella,
  Ingenuaeque domi quodque sepulcra tenet,
Quaeque magis movet (aediculas nam visimus omnes),
  Est quam Alcantareo dedicavere Petro
Hic tumulus duplex, hic sunt epitaphia multa,
  Haec inter Vatis nomina pauca nitent
Quare animo excussus toto, ac permulta revolvens,
  Haec sensa ad comites denuo voce fero
Sistite, et huic lapidi manibus date lilia plenis,
  Coelestes animos gloria lausque decet
Quis tamen haud fleat, extincto nunc lumine tanto
  Cujus lux hominum grata cuique fuit?
Suavis erat, sincera, favensque Salutia cunctis,
  Ac radios auxit semper, amando, suos
Tullia sat claram (4) peperit sibi carmine famam,
  Sed foedo minuit lumen amore sibi.
Haec vivens luxus, moriens (5) contemsit honores,
  Sicque magis nobis lucida stella fuit.
Quid, Vates, potuere in te committere amici?
  Quid culpae fratres, quos dolor altus habet?
Commoda tu patriae vel prima aetate petebas,
  Servabatque bonus jam tua vota Deus
Tu, veniente die (6), tu decedente canebas,
  Sed tua sunt solis carmina sacra probis
Tu invidia externae, nostrae tu gloria gentis,
  Obque tuam nobis suavior aura lyram.

Te non ulterius nos posse audire canentem
Oh damnum! oh nullo poena abolenda die!
Te docti exoptant, quaerunt te sedulo amicae,
Ob te musa gemit, patria moesta dolet.
Te pauper . Quid? homo luctum ne quaere tuorum,
Fit vox in templo versibus ista ferens:
Gaude, Deodata non tibi, non et mortua amicis,
Arctus aeternum vivit at alma Deo
Vivit enim, hic corpus nobis, in carmine dulci,
Limpido ut in vitro, spiritus altus adest,
Vivax in tabula effigies, et Nomen ubique,
Tota sed in teneris cordibus usque viget.
Ecce vigens, radiansque in claris fratribus exstat,
In Glore (7) eximia candida fervet agit.
Cantat in Euphrosyne (8), (est animi haec, et carminis haeres);
Non fugit Octaviam dulcis amica piam (9).
Namque, sophos summos, summosque imitata poetas,
Castalios latices Virgo (10) pudica bibit.
Ergo boni, verique suos e pectore pleno
Edit in excelso monte canora sonos.
Ut raptos queritur foetus philomela sub umbra,
Vel nido tutis carmina laeta vovet,
Sic Rosa nostra suos, patriam, Regesque, Deumque
Laetus, ut querulis cantibus ornat amans
Inspice, bella canit, lauros, tumulosque Atavorum,
Qui sceptro insignes jura dedere diu (11).
Horum, quando caput Padus albis condit arenis
Ut quaestum nobis obsequiumque ferat (12),
Tecta, arces veteres, ibi circumspectat, honorat,
Et loca Christiadis indicat inde sacra
Ipse pater sapiens (13) doctis prior instruit aulam,
Unde toga se armis commoda multa dedit
Quare hinc, et Romae illius en spectatur imago (14),
Qua ad virtutem omnes excitat atque movet.

Par Genitrix; hanc namque pudore et mente micantem,
Cordeque Spartanam nocte dieque colit.
Transit in genitos patrum cum sanguine virtus
Omnigena, ac tanto nomine digna gerit.
Namque exempla tenent Patris clarissima fratres,
Robertusque puer sedulo cuncta notat (15)
Nec flamma absimili in doctos ardescit amicos;
Hisque opere et verbis adfuit usque potens.
Sylvio, Alexandroque novam (16) explicat ista poësim,
Et Coriolano cordis et ima sui.
Cum sponsis laetatur, et hinc feliciter ortis;
Vel vocat absentes, fatave dura dolet.
Fallit amor ne? furens rapit en animosa cothurnum,
Atque reus poenas (17), igne movente, luit.
Indulget? teneros tibi lusus pingit amoris;
Praestat, vincit, ovat, vel gemit atque cadit (18)
At, si oculo tantum spectetur Hypatia puro,
Nonne, ut Clotildes, justa sciensque patet? (19)
Namque, Evangelium atque Sophum judicis volvens,
Quae vita et mors sit dulcior illa docet.
Tum pietate gravis, quondam ut Victoria, cantat (20),
Et sexum exemplis erigit alta suis.
Tum Italiae mores deflet; velumque tremendum
Eripi ab Italis fervida saepe petit (21)
Audiit hanc Virgo Genitrix, nataeque rogantis
Excepit fautrix, sustinuitque preces (22).
Scinditur hinc velum, remeat sol, stellaque amoris
Rursus adit solem (23), clarior inde micat.
Laeta chorum civis coelis arcessit ab altis,
Quo pastorem ista laudet in urbe pium (24)
Hic ridet rus, hic aer, coelumque serenum;
Ingenium et pectus civium in ore sedet.
Ne canat indignos Λυρικὰς et dona recusat,
Et fuso citharam pulvere moesta tegit.

Ast fide, quam nobis Syrus, Frontonque (25) ferebant,
  Taurini Christum carmine honorat ovans.
Arnum etiam, Tibrimque sacrum Glaucilla (26) salutat;
  Atque exinde, gerens splendida serta, redit.
« Pars est historiae, totoque legetur in aevo »;
  Fertur et est Sappho, Melpomeneque nova.
Scilicet haec adeo musis accepta canoris,
  Ut sedeat princeps carminis italici.
Quare isti Ausonia aeternum (27) persolvet honorem,
  Felicemque facit jam super astra Deus.
Moestitiam haec pepulere animis, vultusque sereni
  Dulcia, quae sentit gaudia quisque, notant.
Interea Verrone Crucem devotus adorat,
  Ribérique meus marmora sculpta legit (28),
Ast ego qui nondum explicui sat pectoris imum,
  Voce illos iterum convoco, et ista fero:
O socii unanimes, fide quid praestantius exstat?
  Hac meruit laudes, hac Rosa nostra Deum.
In coeli hortibus (29) haec flores jam musa legebat,
  Fasciculum ut nobis coelico odore daret.
Quid meritis pro tot? quid? gesta sequamur;
  Suaviter, et semper mutuus halet amor.
Terrarum oh si par fragrantia ubique vigeret!
  Nonne bonus quisquis? non mage læta domus?
Blanditias terrae haec terris divina reliquit,
  Et solium in coelis exstulit inde sibi.
Non fuit ergo unquam saeclo temerata malıgno,
  Nec mentem amisit, nec juvenile decus.
Haec novit, nuptamque licet, Rotarius (30) ipse
  (Fertur enim) intactam diligit atque colit.
Par generi adversis, fatis non flectitur ullis,
  Restat, ut iratis quercus aprica flabris.
Imo adeo in veri atque boni percrevit amore,
  Ut Margaritas vicerit alma (31) pias.

Nam, quae sancta volens, libros largitur amicis,
Gazas pauperibus, puraque corda Deo
Per varios casus, et per discrimina rerum
Transiit et fidei, propositique tenax.
Denique per longos morbis exscinditur annos,
Atque orbata oculis, jam mala cuncta subit
Inter at aerumnas (sic namque Boetius olim)
Concinit, et Sophiae dulce levamen habet
Quid quereris? lacrymis sat, sat dedit ista dolori,
Tot poenas fortem jam meminisse juvat.
His veluti mota in tumulo, ac, rediviva vidensque
Fratres cum lacrymis (32), sic placido ore levat
Germani dulces, nimium jam mittite fletum,
Me modo viventum terra secunda tenet
Hic Atavi magni, hic Eustachius, Azzo, aliiqua (33);
Hic Pater et Mater, Frater, Avique sedent.
Hic Lagrangia, Buniva, hic est Napio, Balbua,
Grassius, Alpherius, Botta, Caluso adest (34);
Plurimi ab Ecclesia dicti, Reyner, Leo, Turris,
Bodonius, Balbis, Ponza, Denina mei (35).
Hic Vassallius, hicque Muletius, et Malacarnis
Errores Equitis comiter ore notant (36).
Insuper iste suos etiam collaudat amicos,
Et sapiens scriptis, arte, et amore patet
Tandem Henrica mihi lacrymas et Barbara (37) tergunt;
Oh quam dulcis amor! nunc redamatur amans!
Credita gaudentes summa cum pace videmus,
Et mala perpessos ob bona quanta manent!
Corde tenete ibi, complecti modo mente nequitis
Quam bonus Omnipotens sit super astra suis
Vivimus in Domino, in Domino regnamus amici,
Sumus enim unum omnes, ut Deus unus inest (38).
Non taceo, at plectro sensus meliore resolvo,
Atque unita choris psallimus usque Deo

Nec requiescit amor, verum mortalibus Altum
 Conciliat Numen, praesidiumque refert.
Vivite vos patriae carae, Regique benigno,
 Et Prolem augustam, Caesar, utrique doce (39)
Haec genus Heroum, haec spes est dulcissima nostrum,
 Hic Superi vobis grandia dona parant
Quumque beata meos mecum, carosque tenebo,
 Tunc contentus amor, gloria jugis erit.

DE GESTIS ET MORTE

ALEXANDRI SALUTII

Comitis Munexitii.

AD PEDEMONTIUM

ELEGIA.

Cur, violenta, probos metis, nec parcis iniquis?
  Cur junctos scindis stirpe et amore viros?
Terrarum lacrymis orbem tu luctibus imples,
  Atque ipsas Regum (40) percutis atra domos
Bella necant, vorat Oceanus, sed multa reservant,
  Tu quodcumque necas, semper avara voras
Nonne et Josephum jam, Jeronimamque tenebas?
  Non Fridericus erat, non Rosa odora tibi?
Quare et Alexandrum crudeli falce recidis,
  Ac reliquos fratres cuspide, coeca, feris?
Ah! cives, socii, plebs, Ordo, Academia lugent,
  Immo quisquis inops ob tua furta gemit
At chari . ? ecce Subalpinos dolor occupat altus,
  Infelixque mihi corda retorquet amor (41)
O mors .. te Deus ad tua tristia regna remittat,
  Vimque istam in miseros sistat ab axe tuam.

Patriam, Alexander, cur tam cito, nosque relinquis?
  Quis nostrum nocuit, displicuitve tibi?
Qui in pace et castris hostes ubicumque domabas
  Qui nunc devictum te Libitina tenet?
Qui...? audiit haec Miles validus, vultuque decorus,
  Et sapiens iram corrigit ore meam.
Quid defles? Pedemontium ego, solare sodales,
  Mors homini nunquam perniciosa fuit,
Immo quies lassis, et verae janua vitae,
  Hanc meruit natus, possidet hancce meus.
Iste bonis quantum, et quam dulci pace fruatur
  Non dicam, meritis praemia digna tenet.
Filius in terris prudens si est gloria Patris,
  Immensam in coelis jam Pater hujus habet.
Fortibus atque bonis genitus, bona fortiter egit,
  Perque illum Nomen claret ubique meum.
Laurea vel puerum multum didicisse docebat,
  At cordis motus quis numerare potest?
Stella fugat noctem atram matutina, diemque
  Agricolamque nitens ducit ad arva sua,
Sic et Alexander terras quascumque peragret,
  Tum micat ad verum, tum bona certa fovet.
Fortem etenim in bellis valles testantur et alpes;
  Haud ferrum, haud ignem, nulla pericla pavet.
Cerne furunt populi, Reges heu! bella revolvunt,
  Ast magnam Patriae spem colit iste vigil.
Namque erat Alberto tutorque paterque pupillo,
  Qui princeps fortis magnanimusque fuit.
Ille etiam leges curat pacrosque Lycaei,
  Doctrinasque ipsas providet, atque favet
Quum Regum secreta tenens, fit magnus in aulis,
  Ac veterum intactam servat ubique (42) fidem.
Haec ait, at dum tanto cum Duce glorior esse,
  Iste animi grati libera sensa sequor

O Caput Ausoniae, o praestans virtutibus altis,
   Qua Te pro meritis, gestaque laude feram?
Quosnam pro Latio casus, quae non certamina adisti?
   Sumtibus aut quando, queisve pepercit amor?
Nonne viros martis, Regesque litavit in aris?
   Nonne experti hostes? non tenet ipse Scytha?
Tu profugis tellus tuta, hospitiumque misellis,
   Tu cunctae Italiae spes, honor, atque decus.
Alter tu eximio vis membra Menenius ausu
   Omnia ad officium quodque vocare suum
Sentio, te morbus nimius dudum occupat, angit,
   Namque tibi pectus, crura pedesque dolent
Ast age, et apposite totum Heros instrue corpus,
   Italia et surget denuo clara potens.
Adsit et in pace, et bello Mauritius omni,
   Atque pios nixus adjuvet ipse Deus.
Perge, et divinum fidus sectare susurrum,
   Ac, ut Alexander, prospice, tutor age.
Hic Genuam tibi magnificam sponsavit amanti,
   Quamvis Isabellae (43), litigiique memor.
Hic animos mulcet mitis, divortia demit,
   Adque alias gentes per freta sternit iter.
Quare aliae veniunt laetae huc ad te quoque gentes,
   Et ridet gemmis jam diadema novis
Nam mage pansus amor fratrum, mage libera pacta
   Italiae Nomen, divitiasque dabunt.
Immo Salutius arma et Regni jura ministrat,
   At sceleris purus cuncta peregit amans,
Egit ita ut fortes, nec non tua bella revelet,
   Et laudem historiis (44) pandat ubique tuam
Luceat immo ipsis doctrina et pectore Russis,
   Vinclaque Roberti vindicet inde sui
Clarior huc illinc rediens fit praeses ubique
   Quo acceptae patriae gloria honorque vocet.

Praeses consiliis regni edit vota scienter,
Et eum pace ipsas impiger auget opes
Praeses Athenaeo summo ecce sedile paternum
Occupat, et doctis quavis in arte praeit
Praefuit et claris cunctisque scientibus ipsis,
Ac meritis fulgens plauditur omnigenis
Quare Rex gratus doctumque, Ducemque, Patremque
Supremo proprius sacrat honore sibi
Hoc decus enarrat sapiens Cibrarius (45) altum,
Quidque ferat magni, perlege, quemque docet
Imperat, obsequiturve pecunia fluxa cuique,
Ast huic pro miseris (46) servit usque viro
Denique sancit eas leges, ultroque, Senator,
Quas ratio dictat, quas probat alma fides.
Verus amator opus sibi, non ita lucra requirit,
Ut Patris in nato sit generosus amor
Utique jam Macedo et gestis, et nomine magnus,
Saevus at in Clytum nonne deinde stupet?
Hic semper magnus nunquam jus fregit amoris,
Atque suo cunctos providus igne fovet
Sponsa erat, at Deus ad se coelicolasque vocavit,
Et viduus patiens tristia fata regit
Haud nati ut patris aut patroni nomine honorant
Quotquot eum norunt, scilicet innumeri
Carcere, vel poenis tactos non ridet (47) iniquos,
Sed dolet, atque pius voce manuque levat.
Et qua Ancina fides discordes junxit in unum,
Pectore in hoc odii (48) semina nulla tulit
Cumque suis est una domi mens, una voluntas,
Et fratrum hunc semper pro patre quisque colit.
O utinam populis nota haec concordia fratrum!
Totne irae, invidiae, furta, necesque forent?
Interim ad occasum astrum istud convergit, at alta
Restat lux, immo religiosa micat.

Namque petit sacrata Deo, tumulisque suorum
Claustra (49), et se ad mortem judicat atque parat
Ingruit ergo senem morbus, torquetque dolentem,
Ast mala plus fratrum quam sua fata dolet.
Et, crescente malo (gaudet patientia duris),
Non gemit, at Superos cogitat atque rogat
Dein, morte urgente, at recti sibi conscius acti,
Ista paterna suis ultima verba dedit
O cari fratres, fratri jam parcite vestro,
Solvitur hic cortex (50), non minuetur amor
« Non sum qui fueram, perit pars maxima nostri,
« Hoc quoque quod superest » morbus acutus habet
Nunc magis orandum ut, vetulus, fessusque laborum
Queis vocor ad superos illico tutus eam
Non plorate, eritis quoque vos post tempora mecum,
Nec mors, nec fletus, nec dolor ullus erit
Post haec, respiciens Christum, hoc ait, ore sereno
En venio, sed tu sis via, vita, comes
Convenit optantem bonus ecce [illegible] amicum,
Æternumque suo jungitur iste Deo
Dumque novatur amor, dum fit mens fervida coelum,
Vincula rumpuntur, spiritus almus ovat
Evasit, contende tamen, robustior ista
Ex terra quam alius nascitur arbor (bomo)
Ergo alios, Genitor, progigne viros, ac effice fortes,
Et meritis crescet nomen in orbe tuum
Dura, te laudabit enim cum Numine natus,
Quod sibi te similem fecerit aequus amor.
Est etenim in patria aeterna, a sudore quiescit,
Noster Alexander quod cupiebat habet
Ast expectat, cumque illustri in calle sequamur,
Sitque subalpinum fortia ferre, agere.
Namque exercituum Deus omnia gesta tuetur,
Cumque illo noster, crede, triumphus erit

OB GESTA ET FUNERA

HANNIBALIS ET CÆSARIS

Fratrum de Salutiis.

AD ITALIAM

ELEGIA.

Ecquid ego culpae nimium quod morte meorum
  Torqueor, et natis pallor in ore sedet?
Cur tumulorum effringitur ah! tam saepe sigillum,
  Nec sine carorum luctibus ulla domus?
Mene inter lacrymas semper, tristesque cupressos
  Degere moerorem? forsque inimica manet?
Oh matura reos tollant, aut funera ineptos,
  Aut quos jam vitae taedet acerba metant!
At lacerato jam gremio medicina feratur,
  Sitque meis requies fortibus atque bonis.
Haec patria, ast ego, cum studeam relevare dolorem,
  Collacrymo, atque rudi pectine solvo melos.
Queis vates magni Graecos, Italosque notabant,
  Nos eadem, infandum! jurgia dura movent
Sed macte, o quae strata pedes extendis ad Ætnam,
  Dasque coronatum montibus hisce caput,

22

Macte, novi inventrix mundi, veterisque magistra;
  Surges; sed surgas viribus apta tuis.
Aurea namque ad te demum aetas, crede, redibit,
  Atque novus natos laetificabit honor
Semper ego exaltor tanta cum cerno micantes
  Luce (51), tuusque illos tento referre viros
Multi abiere quidem, at plures clarique supersunt,
  Exsurguntque alii quos tuus urget amor
Namque medulla aluisti illos, o cara, leonis,
  Ac per te virtus magna cujusque fuit
Ipsa per hos etiam fulges praeclara vicissim,
  Et gens quaeque viros invidet hosce tuos
Quod natos vidit cunctos sibi Respha peremtos,
  Jure super saxo flevit amara diu
Tu quid? nonne tibi radix generosa remansit?
  Non quo surgentes ad meliora voces?
Hannibal et Caesar coeli utique pace beantur,
  Nomen at in terris nobile ubique viget
Respice virtutem hi puro cum lacte bibentes,
  Maxima portendunt vel pueri ingenio
Caesar Athenaeo se se vovet, Hannibal armis,
  Atque animum ditant lumine et igne sibi
Agminis ergo cito, et merito, dux iste creatur,
  Et socios ipsos, igne micante, domat.
Ille etiam, victis stadiis votoque suorum,
  Inter doctores junior inde sedet.
Dumque domus gaudet, dum conlaetantur amici,
  Flet Pater, et fletus (52) suaviter ora rigat
Si meritum, fulgorque patrum est dos, lausque nepotum,
  Dicito in his veterum gloria honorque fuit
Nam nunquam eclipsin subiere haec astra per orbem,
  Atque modo in coelis lucidiora manent.
His commota fremit Regina, et cum sibi cernat
  Discissam trabeam, palpitat atque furit;

Ast immota, inter Scillam atque Carybdim,
Haec, capite erecto, denuo verba serit
Nate, mihi veterem noli memorare nitorem,
Ac super his tumulis me modo linque mori
Quando furit mare, nautae quum jactantur ab undis,
Ac nox infidis incubat atra viis,
Quid quaerunt oculi? quid corda paventia mulcet?
Nonne laterna illis duxque salusque micans?
Tempora enim memini illa heu! jam scelerata profecto,
Sed mihi in illustri prole levamen erat
Sol meus en abit, at terras nigra occupat umbra,
Ipsa bonis nudor, dissecor aegra malis,
Prisca fides languet, miscentur sacra profanis,
Res, homines, superos tetra procella movet (53)
Ast ita in his tenebris lux vera Salutia lucet,
Ut pater et nati mente operaque micent.
Namque alibi scelus, atque error, miserabile dictu!
Irruit in Christum, sacraque cuncta ruens,
Verum hic templa juvat Joseph, sacrosque ministros (54),
Et Manfredorum splendet agitque fides (55)
Post ea Napoleo venit, egregiosque recensens,
Gestit; et, exsultans, haec mihi verba facit
O dives Genitrix, et pulchra scientiae et artis,
Ipse ego de natis gaudeo et esse tuis.
Quid non terrae aliae mihi, si una (Salutiae) amanti
Tot peperit fortes quot genitos numerat?
Hi celebres, video, fundant (56) ornantque lycaea
Per quae ars et virtus crescit ubique potens
Totque cohors jam protulit illa Salutia lauros,
Quot prope percenset bella (57) virosve sibi
Vesulus en Regum divisit regna duorum,
Inque sinu ad pactum (58) semitam utrisque dedit;
Ast modo grande meum hunc medius commonstrat et inde,
Atque mihi et populis prostrat ubique via.

Ergo rumpe moras, surge, o foecunda virorum,
Fac, et majus erit nomen in orbe tuum.
Ensis abestne ducum post tot Regumque triumphos?
Iste (59) erit Ausoniis post mea fata tuis.
Josephum, haec fatus, genitosque inspexit acutus,
Agnoscensque viros, ad sua jussa vocat.
Tunc tormenta pio linquit muralia patri,
Quod doctum et fortem nobili in arte videt.
Quin hic cum studia (ut magnus Ludovicus) et artes (60)
Ære, domoque sua protegat atque juvet;
Sic Heros, populus, surgensque Academia laudat:
Atque hoc solamen, praesidiumque mihi.
Magna quidem in populis virtus quondam Africa gessit;
Ausonia at crebro fulsit ubique magis.
Poenus enim Cannis dux marte refulget amico;
Sed Capuae eclipsin desidiosus habet.
Hannibal ast meus, ut Michael (61), non desidet unquam
Aut cremat, aut caedit, vel fugat atque ruit.
Haec referunt Athesia, Padus, Ulsteriumque, Varusque,
Ipseque Napoleo tollit honore virum.
Et vocat ad se, et vitam illi committit, et arma,
Atque domi acceptum, militiaeque tenet.
Ipse redit Museba, copiis exhaustus et armis
Heros in patriam tempora iniqua regens,
Non Xerses remeabat tam prudens ab Achivis;
Napoleo lauris se, redeundo, tegit.
Cumque illo Hannibal ergo cuncta per ardua transit
Imperii summi votaque remque gerens.
Obstat ei Kutusophius, inde Plutophius obstat,
Transiit at virtus itala utrumque domans.
Obstant bellantes alii, renuuntque regressum
Hannibal hos vitat, continuatque viam.
Impavidum haud retinet violenta Borysthenis unda,
Nec Chroni glacies horrida tangit eum.

Ah dextrae super arma, genas lacrimaeque rigescunt,
  Concretique viri frigore stant et equi!
Hannibal at Domino sacra instrumenta viarum
  Integra conservat, ducit et inde suo.
Lembus ast Caesar studiis scriptisque coruscus
  Artibus et populis tunc quoque fautor adest.
Quare et eum Imperator amat, magno lycaeo
  Præficit; unde omni lumine et iste nitet.
Ast cum Heros auget, stella fulgente, triumphos,
  Cum imperio jungit sic nova sceptra suo,
(Namque Deus res atque homines cum tempore mutat,
  Firmior at virtus semper ubique manet)
A terris pater Angelus ad coelestia transit,
  Et viduam et natos angit agitque dolor.
Deficit interea fulgur regni, imperiique,
  Rexque bonus rediens recreat Italicos.
Namque suum in genitis Victorius esse magistrum
  Conspicit, et, gaudens, multa cuique jubet.
Quinque cito parent (fit namque ardentior ignis),
  Jussaque festivus (62) regia quisque facit
Tres ergo, ut plectrum Soror, arma et signa resumunt,
  Ipseque militiam Caesar honoris init.
Cum doctrina igitur bellorum ars juncta per istos
  Oh quot militibus commoda ubique tulit!
Quae succi plus de terra et coelo extrahit arbor
  Illa magis floret, fructificatque bona,
Et solida haec virtus quocumque in tempore fructus
  Edidit, atque novos insita semper alit
Hannibal in castris docet, et stationibus ipsis;
  Et cito fit series aptior alta ducum
Hinc magis est solers aggressio, et inde receptus,
  Ista equitum, et peditum promptior illa manus:
Arma et equos, et equile, et ephippia curat,
  Et panem, et tunicas, et loca, vel crepidas

Evolvitque docens tantam vim lucis et ignis,
  Ut Rex et miles nomen ad astra ferant.
Jam patriae favit propriae Marathonicus heros,
  At nocuit solvens obsidione Parum.
Hic laesit neminem, hic mire bona credita servat,
  Hic virtute sua quos valet usque juvat.
Caroli enim freta sic pingit, terrasque peritus,
  Ut rem ipsam in chartis illico conspicias.
Imo alpes mihi mensura numeroque recenset,
  Et loca praesidiis jure tuenda notat.
Hoc regni tabulae, hoc conscripta volumina (63) pandunt,
  Hoc et eum doctum quavis in arte docet.
Nec frigescit amor, namque Hannibal aptus amicis,
  Assistitque pius nocte dieque suis.
Excipit ignotos facilis, largitur egenti,
  Et juvat artifices, hospitiisque praeest.
Utque magis faveat, meritis repletus et annis,
  Deserit arma senex, at capit inde togam.
Regni igitur per magna negotia mente volutans
  Et pacem et bellum quod juvet ipse docet,
Quaeque urgent magis explicat ore senator in aula.
  Illa utinam implessent vota paterna Patres!
Gymnasii ipse ducum Caesar fit rector et auspex,
  Quod metuunt hostes, quod mihi dulce decus.
Dictator tulerat quondam sibi quinque triumphos,
  Et patriae patrem quisque vocavit eum.
Tu patriae hunc etiam merito nunc dicito patrem;
  Tot palmas retulit quot dedit iste viros.
Oh quot enim! Ille mea expertus jam jura tuetur,
  Iste animo excellens bella ducesque regit.
Hic generosus, ibi sapiens, fortisque coruscat,
  Moecenatem illic (64) ingeniosus habet.
Namque triumphat quum vitia erroresque repellit,
  Quum movet ignavos, quum domat indociles.

Filius hic populis toties ita favit amando
Ut virtute Titus fulserit inde novus.
Lucem etenim coecis, timidis, gelidisque dat ignem,
Ac socios magno largus amore beat.
Hic pater oppresso, hic aegro, hic viduae atque pupillis,
Nec miserum inveniës cui neget iste dapem.
Quod Patre et Chemiam, et Mathesim etiam hauserat iste,
Sic et Athenaeum, discipulosque regit,
Sicque etiam Magnus belli tormenta Magister
Dirigit, et clarus Patris in arte patet.
Quid non Caesar habet? doctrinam? Academia laudat,
Atque dat historiis, consiliisque ducem.
Virtutem? at prudens Regum secreta gubernat,
Et Proli Augustae duxque paterque datur.
Gesta? etiam ad pacem, bellumque aptissima scripsit,
Ac mihi producit (65) perpetuatque bonum.
O et praesidium atque decus, dulcissime Caesar,
Qui grates pandam mater amata tibi?
Religio, virtus in te, meritumque perenne,
Ipsaque splendidius fulsit imago Dei.
Te duce ad officium juvenesque senesque moventur;
Utque tui rami, dulcia poma ferunt.
Tu per Germanos, aliosque ea quae ipse nequires
Perficis, et late spargitur almus odor.
Ergo, Aleramides (66), vos Rex merito auxit honore,
Excelsoque omnes denique torque ligat.
Quemque equidem vestrum φιλοθρόνον esse docebo,
Ut cuncti referant vos in amore mei.
Vosque suos etiam civis Vicensis (67) honorat,
Cum Beccaria vos Bona, Cigna suos.
Ferme Salutiae erant per vos Pedemontii Athenae,
Namque ibi Doctorum jam prior aula fuit
Vos doctum coelo Regesque, Ducesque venistis,
Perficitque suum (68) quisque magisterium.

Qui sanctus vos junxit amor, fecitque potentes,
  Dissidium ipse aliis triste fovere vetat.
Vita vapor, verum, ut currus, bona cuncta vehebat
  Vester qui ignitis semper abivit aquis
Vos adeo indomitum morbum in virtute tulistis,
  Ut magis illustres fecerit ipse dolor.
More etiam patrum extruxistis splendida templa,
  Jamque optata quies (69) vos tenet atque beat
Vos lux in dubiis, in casibus, inque periclis,
  Vos mihi solamen, deliciaeque meae.
Nunc careo, αὐτόνομος jam, me modo vincula torquent,
  Et cogor dudum jura aliena sequi
Scindor et ah! priscus dolor intestina retorquet
  Quis matrem a tantis vindicet ergo malis?
Post haec ingemit, et, variis heu! languida plagis,
  Conticet, at tristem sensibus hisce levo;
Parce, parens, animo haud desponde, at sume vetustum,
  Te incassum luctus conficit iste tuus
Membra virum defessa tuorum in pace quiescunt,
  Digna fatigatis otia, flendo, negas
Quos ploras raptos heroum e pectore, Mater,
  Spiritus, et virtus mascula vivit adhuc.
Vivit enim, vivensque novis Chironibus aucta
  Gignet Pellaeos, Herculeosque viros
Illorum signa ingenui en venerantur (70) alumni,
  Virtute ut niteant, sin meliore, pari.
Nonne vides Regem in populis cum Prole potentem?
  Non micat Emmanuel, sol ut in orbe, novus?
Caesaris hic summus laus est (71) et gloria magni;
  Ergo et spes ingens, forma vigorque tui.
Hic fortis (nihil absque Deo) et pia facta sequetur.
  Incoeptumque olim perficietur opus
Cur dubitas? Alphonsus adest, novus atque Camillus,
  Adsunt Chirones Feccia et Alpherius (72)

Innumerique favent populi, ut Galli, atque Britanni,
Vimque tuis foedus nisibus inde dabit.
O utinam Eridanus cito Principi obediat omnis,
